

est super nos lumen & cultus Domini, si imago eius nobis impressa, longè aberit, ut animus noster velut tabula rasa, & in qua nihil signatum, nihil exaratum fuerit prius, existimari debeat: à morte itaq; hominis quid sperandum, quid ultra expectandum, nisi ut & nà cum corpore intereat animus ille, sublato enim corpore inanis relinquetur ac vacuus; at diuersum ex Vati prædicto dicimus. Insuper experimento edocemur, non elici ignem ex eo, in quo ignis non fuerat prius; neque ab igne accendi quicquam, quod ignem ingenitum, utpote pinguedinem, non habuerat antè. Sic ad omnem disciplinam capeffendam ineptus erit homo, si instar bruti animantis scientiarum artiumq; omnium semina ideasq; impressas ab origine non possederit; quod etiam fieri non potest, quum animus eiusdem diuina sit particula aura, cui summum Numen usque conjungi desiderat, illamq; augustiorem reddere; Unde legitur in sacris literis: Delicia, inquit, mea esse cum filiis hominum. Lubens ergo percunctarer Aristotelem, qui prædictæ opinionis author extitit; Unde igitur omnes disciplina, artes omnes inventæ, si animus hominis sit instar tabulae rasæ? Quomodo etiam, licet corpori velut ergastulo quopiam alligatus, totà nihilominus mundi machinam per vagatur, ac quidquid in cælo sursum, quidve in terra deorsum rimatur, aut meditatione percurrit; neque hisce contentus, in Deum ipsum contemplationem suam erigit, summoq; bono conjungi atque frui conatur. Plato itaque rectius cum Diuo Paulo pronunciauit, corpusculum istud carcerem animi fore, atque ab illo, ne operationes suas atq; imprimis spirituales exercere possit, quodammodo præpediri. Quamobrem exclamat idem Apostolus, dicens: Quis liberabit me de corpore mortis hujus? Adhæc Pythagoras animum humanum originem diuinam esse dixit, plenam formis, id est, virtutibus ac speciebus rerum omnium, sed præpeditum corporis umbra. Et ut ad rem reuertar, lignum vite hoc exercitationis genus à Moyse nuncupari videtur, Salomone qd ipsum confirmante, de sapientia Verba faciente: Lignum vite, inquit, est; qui apprehendit eam, & qui tenuerint eam beati. Sapientia itaque sectator, siue affecla, viam à corruptione hac mortali ad immortalitatem sibi sternit, contemplationeq; rerum diuinarum naturaliumq; assidua, exercitationeq; Veritatem rebus ipsis adæquatam indispiscitur, imo in diuinam naturam quodammodo transit. Utque è tophe, abjecta ve gleba, aurum sed & adamas; à concha vili, unio pretiosissimus; atque à rebus vilibus ac fastiditis, antidotum

Simile p simi  
le aliq; e  
attrahit

Lignum vite  
y d.